



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 88. Funestum Marci Antonii Marchionis de Maximis fatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

§. LXXXVIII.

Sæcul. XVI.
A.C.1599.

*Funestum Marci Antonii Marchionis
de Maximis fatum.*

Eo tempore inter nobilissimas Roma-
næ Urbis familias præprimis re-
splendebat illa Marchionum de Maxi-
mis, quæ quamvis in quatuor divide-
retur ramos, præcipuus tamen erat
Marchio de Presseda, qui mortua sua
conjugæ ex Sabelliorum genere orta
quinque superstites habebat filios
venustate, virium robore, ac gigantea
ferme corporis proceritate conspicuos,
nec non in cunctis Nobilium exercita-
tionibus versatissimos: porro sub idem
tempus acciderat, quod Marcus Anto-
nius Columna e Sicilia ad quoddam
oppidum, cui nomen Vicus Varronis
est, delatus inde Romam veniret, una-
cum quadam nobili fœmina, quam
perdite amabat, eamque a domo Pa-
rentum suorum, qui abs dubio illam
neci dedissent, e Sicilia subductam in
suo Palatio asservabat. Hæc mulier ve-
nustatis suæ illecebris Viduum Mar-
chionem de Maximis tantopere fascina-
bat, ut posthabita suæ famæ, ac nobi-
litis ratione illam connubio sibi socia-
re decerneret: obstabant equidem ejus
Fili, nihilque intentatum, atque in-
ausum relinquebant, ut tam indignas

*M. S. Cod.
Rom. Pro-
cess. jud.
contra
March. de
Maxim.*

H h 5 præ-

Sæcul. XVI. præpedirent nuptias : ast incassum o
A.C. 1599. mnia , senex enim hic Marchio paulo
 post juvenem hanc puellam ducit , que
 vespere ad Mariti domum deportata præ
 ceteris sciscitabatur , ubinam ergo esset
 ejus Filii , quorum decantata animi for
 titudo , ceteræque corporis dotes illis
 conspiciendi desiderium in ipsa accen
 derunt : igitur Parens , ut sponsæ sue
 voto satisfaceret , Filios suos accersit
 jubet , qui tamen Patri suo per quos
 dam famulos nuntiabant , nolle se hoc
 vespere nuptiarum solemnia intertur
 bare , se autem crastina die obsequium
 quod novæ huic sponsæ deberent , præ
 stituros : quapropter ambigui hujus re
 sponsi malitiam haud penetrantes Spon
 si noctem quiete transigebant : cum au
 tem senex hic Marchio summo Ponti
 fici a cubiculis esset , quamprimum e
 domo sua ad Quirinale Palatium perve
 nerat , ejus discessu per exploratores
 cognito mox quatuor ejus filii Sponsam
 visum venerant , ac illam officiose ipsi
 occurrentem ne verbo quidem digna
 bantur , sed confestim sclopeto pectori
 impacto interemerunt , ubi nulla mora
 parentum , suorumque amicorum au
 xilio , ac potentia suffulti affugerunt ,
 interea paucis post horis Marchio do
 mum reversus ad tam funestum specta
 culum corruit , vocis , sensuumque usque
 desti-

destitutus, tandem vero linquentem animam revocans, oculosque lacrimis manantes ad Crucifixi imaginem elevans Dei vindictam provocabat, ac quatuor filios suos tanti sceleris reos diris devovens Pompæium quintum filium suum innocentem adesse jussit, eique bene precatus ipsum unicum Familiæ, ac facultatis suæ hæredem nominavit, ceteris vero filiis mortem magis adhuc crudelem, quam ejus conjugii intulissent, imprecatus accersito tabellario facinorosos omnibus bonis exutos declarabat: ipse autem animi mærore, assiduisque lacrimis consumptus paulo post obiit.

§. LXXXIX.

Lucas primogenitus hujus Marchionis filius veneno a fratre suo occisus.

Enimvero justa senis hujus Patris maledictio effectu suo, eoque satis funesto haud caruit; quamvis enim ob prævalentem potentiam Columnensium, quibus sanguine juncti erant, fugitivi hi filii a suo scelere, ac promerita pœna fuissent soluti, sub obtentu, quod propriæ familiæ honorem tuendi necessitas, nec non justis doloris vehementia ipsos ad hoc facinus impulisset, divinæ tamen justitiæ pœnam effugere haud poterant; quippe exorta inter quatuor hosce fratres invidia, ac dissensione Marcus

Sæcul.XVI.
A.C.1599.

*Att. Jud.
Marc. Anton. de
Max.*